

JOHANNES DE ALTA SILVA
DE THESAURO ET FURE ASTUTO
(12th century)

1 Fuit antiquo tempore rex quidam magnus et potens. Qui, colligendi
2 thesauros cupidissimus, magnae altitudinis latitudinisque turrim
3 auro, argento pretiosisque omnibus rebus usque ad summum
4 repleverat. Habebat autem hic militem quem in multis fidelem
5 expertus erat, cui et claves sui commisit thesauri. At miles thesaurum
6 servandum suscipiens, cum iam multis annis evolutis labore et
7 senectute fractus esset nec posset iam tumultum curamque curiae
8 sustinere, regem rogabat ut suae debilitati senectutique parcens,
9 claves thesauri reciperet seque sineret propriam redire domum
10 liceretque sibi inter filios reliquum vitae suae tempus quietum agere
11 et iucundum. Rex vero, cum militem optime de se meritum iudicaret,
12 eum magnis donatum muneribus maestus tamen abire sivit. Receptis
13 igitur clavibus, thesaurum iterum alii commisit servandum. Miles
14 autem domum veniens curam sibi suaeque familiae sollicitus
15 impendebat. Habebat hic multos filios, quorum primogenitus militari
16 iam balteo cingebatur. Quem cum pater nimis tenere diligeret, omnes
17 ei exposuit divitias iussitque large expendentem famam sibi et
18 amicos divitiis comparare. Ipse vero, ex licentia paternis liberius
19 largiusque utens rebus, equos, arma, vestes, ceteraque quibus magis
20 adolescentium aetas delectari solet studuit comparare, amicos multos
21 muneribus emens facile post munera ab amicitia recessuros. Brevi
22 ergo tempore loculos patris minuit; exhausta pecunia, ad patrem
23 redit dicitque se pecunias defecisse.

24 Tunc demum pater recogitans secum paenitensque facti: "Quoniam,"
25 inquit, "te, fili, nimis et stulte dilexi, quicquid habebam tuae subdidi
26 potestati. At tu cernens frenum tibi laxatum, temperantiae immemor
27 ita omnia consumpsisti, ut nihil mihi praeter solam domum
28 reliqueris. Quid ergo tibi magis faciam? Doleo quidem quod fama
29 nomenque tuum in flore iuventutis deperit, sed unde te sustentem
30 non habeo. Hoc tantum unum superest consilii, sed periculosum, ut
31 si ea largitate qua prius vivere vis, turrim in qua regis positi sunt
32 thesauri sub obscurae noctis silentio adeamus." Audito hoc filius:
33 "Nullum," ait, "pater, quamvis grave sit periculum tecum subire
34 refugio, modo ne desint divitiae, ne si illae defecerint, nominis
35 quoque mei gloria evanescat." Consurgunt igitur ambo nocte, turrim
36 adeunt, perforant malleis ferreis murum; intrat pater sublataque
37 magna parte thesauri exit obstruitque foramen. Revertuntur domum
38 onusti opibus alienis, et iuvenis iterum sua utitur largitate.
39 Quandocumque iterum opus erat opibus ad thesaurum sibi notum
40 revertebantur.

41 Contigit autem ut rex thesaurum videre vellet, accessito custode
42 intrat turrim videtque magnam thesauri partem sublata esse.
43 Furore ergo repletus, dissimulans tamen egreditur venitque ad
44 decrepitum quendam senem, consilium quaesiturus. Fuerat hic senex
45 aliquando famosissimus latro quem comprehensum rex oculis
46 privaverat eique de mensa sua cotidianos comparabat cibos. Hic regi
47 consilium saepe bonum et utile praebebat, utpote qui multa viderat et
48 audierat suaque experientia didicerat multa. Narrat ei rex damnum

49 suum quaeritque quomodo perdita recuperare possit. Cui senex tale
50 dat consilium: "Si," inquit, "o rex, novisse cupis quid hoc an tuus
51 custos an alius egerit, iube fasciculum herbae viridis in turrim inferri
52 supponique ignem. Tu autem, clauso ostio, turrim iterum circumeas,
53 et videas si per aliquam muri rimulam fumum egredi videris. Hoc
54 facto, ad me redeas consilium accepturus quid post haec tibi
55 agendum sit." Rex autem dictum senis cito impleri iubens, clausit
56 ostium et coepit tacitus turris ambitum circumire. Ecce autem calore
57 ignis viridisque materiae humore fumus permaxime excitatus totam
58 usque ad tectum replevit turrim. Qui cum aliud spiraculum non
59 haberet, per locum foraminis illius, eo quod lapide tantum sine
60 caemento obstructum erat, egreditur.

61 Quibus visis, rex properavit ad senem; ea quae viderat narravit. Hoc
62 audito, senex: "Scias," ait, "rex, fures tibi tuos per locum ubi fumus
63 egriditur abstulisse thesauros; quos nisi aliqua arte ceperis, quod
64 superest asportabunt. Non enim cessabunt, quippe quibus adhuc
65 prospere cessit res, donec totum thesaurum exhausterint. Meo igitur
66 usus consilio damnum dissimula et preme silentio, ne, rumore hoc
67 per aures populi discurrente, tuum furibus studium innotescat. Et tu
68 interim cupam latam et profundam calenti imple bitumine, resa, pice
69 et glutine, quam foramini introrsus opponas, ut dum fur more solito
70 securus nullam deceptionem suspicans ad assuetum thesaurum
71 recurrit, repente in cupam corruat captusque et colligatus glutine se
72 tibi, velit nolit, cras manifestet." Admiratus rex astutum senis
73 consilium cupam ilico ferventi impletam glutine opponit foramini
74 serratoque ostio abscedit. Ecce autem fatalis illa dies, quae neminem

75 bonum malumve praeterit, miserum patrem cum filio eadem nocte
76 ad turrim adduxit, remotoque a foramini lapide, intrat pater nihil de
77 praetensis laqueis suspicatus, dumque festinat ut heri et nudius
78 tertius in pavementum salire, incautus miser, ut erat vestitus
79 calceatusque, in cupam mento tenus insilit, statimque vallatus glutine
80 redditur immobilis, ita ut nec manum nec pedem movere posset,
81 excepta lingua quae tantum ab hac iniuria libera remanserat.
82 Ingemiscens igitur infelix filium advocat, narrat quibus laqueis
83 teneatur adstrictus, orat ut sibi cito, antequam aliquis superveniat,
84 caput amputet et abscedat, ne forte per caput cognitus aeternam suo
85 generi maculam inferat et iacturam. At vero filius totis viribus patrem
86 conatus extrahere, cum laborem suum frustrari videret, coepit anxari
87 et haesitare quid de duobus ageret; hinc etenim horrebat suas nece
88 patris cruentare manus, hinc vero metuebat per faciem patris
89 deprehendi. Cum ergo eum a nece retraheret amor, timor et
90 necessitas urgeret, nesciens quid utilius ad tempus ageret, caput
91 patris cultro abscisum fugiens asportavit.

92 Postridie autem rex prima luce de lectulo surgens intravit turrim
93 cucurritque ad cupam invenitque murum perforatum et totam illam
94 bituminis superficiem infectam sanguine, furem quoque suum, sed
95 truncato capite deprehendit. Festinans ergo ad suum recurrit
96 consiliarium, illum videlicet senem, annuntians captum quidem
97 furem sed capite mutilatum. Quod hoc audisset senex, parumper
98 subridens: "Miror," ait, "huius latronis astutiam. Quia enim nobilis
99 erat nec voluit se vel genus suum prodere, idcirco a socio sibi caput
100 amputari iussit. Unde et difficile videtur mihi te posse aut thesaurum

101 recuperare aut cognoscere furem." Tunc rex vehementer urgebat
102 senem ut daret consilium, minime de thesauro perduto aiens se
103 curare, si tantummodo furem quis fuerit agnovisset. Cui senex: "Fac
104 illum," inquit, "abstractum de cupa, caudae equi fortissimi alligari
105 trahique per plateas et vicos civitatum regni tui. Porro milites armati
106 subsequantur, capientes si quos viderint viros vel mulieres ad
107 aspectum cadaveris lacrimare tibi que eos praesentent. Et si fuerint ibi
108 socius aut uxor aut filii, nequaquam poterunt a lacrimis temperare."

109 Bonum rex ratus senis consilium iubet festinanter truncum equo
110 fortissimo pedibus alligatum cum armatis militibus trahi per
111 proximam civitatem. Qui dum miser trahitur, contigit eum ante fores
112 domus suae devenire. Stabat autem ille filius eius major, qui et ei in
113 furto fuerat socius, ante ipsas fores. Qui cum videret patrem sic
114 miserabiliter trahi, flere quidem non audens, sed nec valens lacrimas
115 prohibere, occasione reperta, cultellum lignum arripit, quasi aliquid
116 incisurus, sinistraeque manus pollicem de industria sibi amputat.
117 Tunc vero sub occasione pollicis vocem emittit luctuosam, erumpunt
118 lacrimae, accurrit mater, fratres et sorores dilacerant manibus vestes
119 oraque et capillos, in persona filii patris miseriam lamentantes.
120 Affuerunt ilico milites qui eos caperent ducerentque ad regem. At
121 vero rex maximo adfectus gaudio, sperans se perdita recuperare
122 posse, pollicebatur illis vitam et gratiam suam, si scelus confiterentur
123 redderentque thesauros suos. Iuvenis autem ille ex metu et
124 necessitate audaciam sumens: "Non ideo," ait, "o serenissime rex, ego
125 aut mei, quia hic miser truncus ad nos aliquid pertineat, lacrimas
126 effundimus, sed quia hic dies nefastus mihi sinistrae manus pollicem

127 abstulit. Ob hoc ergo lacrimae effusae, exaratae facies, capilli evulsi,
128 quia ego adhuc iuvenis hodie uno et potiore membro debilitatus
129 sum." Rex vero pollicem adhuc fluentem sanguine certissimum
130 veritatis argumentum fore ratus, motus misericordia propter
131 fortunam iuvenis: "Non est," ait, "mirum si dolet cui male contigit.
132 Vade in pace et hunc diem male ominatum de cetero praecaveto." Sic
133 ergo ille astutia sua se suosque liberans domum rediit, et rex
134 similitudine delusus veritatis redit ad senem consilium accepturus.

135 Senex vero affirmabat regem vix posse invenire quod quaereret,
136 suadebat autem ut cadaver iterum per eandem traheretur civitatem.
137 Quod et factum est. Cumque ut prius ventum esset ad domum eius,
138 filius, internum animi dolorem non ferens, filium parvulum in
139 puteum qui pro foribus erat clam proiecit, tuncque vultum unguibus
140 carpens voce lacrimosa populum quasi ad liberandum filium
141 convocat. Accurrit iterum mater cum filiis, cingunt puteum,
142 lacrimantur, aliique funibus ad extrahendum puerulum in puteum se
143 demittunt et alii eos iterum sursum trahunt. Quid plura? Capitur
144 iterum ille solus duciturque ad regem et interim cadaver per alias
145 civitates frustra tractum ad regem vix ossibus et nervis cohaerens
146 reducitur. Porro rex videns hunc iterum captum quem antea
147 dimiserat et nimium admiratus: "Quid prosunt," ait, "tibi callidae
148 deceptiones? Dii summi te produnt, furta tua et scelera te accusant.
149 Redde ergo thesaurum et iuro tibi per meam magnique Iovis
150 potentiam nec te vita nec aliquo me privaturum membro, sed sanum
151 et integrum liberumque dimissurum." Tunc latro calliditate sua
152 utens, producta primo suspiria ab imo pectoris trahit, dehinc talem

153 emittit vocem: "O me, omnium infelicissimum hominum, quem tanto
154 dii odio persequuntur, ut nec solum mihi diem sine doloribus et
155 cruciatibus corporis et animi transire permittant! Heri mihi dies
156 infelix pollicem abstulit; hic hodie infelicior filium unicum demersit
157 in puteum, et ecce de thesauro regis requiror." Tunc etiam lacrimis
158 falsis, immo verissimis perfusus, "Magnum," ait, "o rex, beneficium
159 solaciumque praestiteris misero, si me ab hac vita quae omni
160 tormento, omni morte mihi gravior videtur, subtraxeris." Rex autem
161 cum iuvenem crebris perfundi lacrimis mortemque loco beneficii
162 quaerere videret audiretque eum vere ipso die filium perdidisse
163 hesternoque die pollicem, miseratus hominem abire sivit, centum ei
164 argenti marcas pro solacio tribuens. Sic iterum rex deceptus
165 consiliarium suum adiit, aiens se frustra operam insumpsisse.

166 Sed senex ad regem: "Unum," ait, "adhuc superest agendum, quo nisi
167 furem superstitem ceperis, iam frustra ad alia te convertes: elige tibi
168 milites fortissimos quadraginta, quorum viginti nigris armis
169 nigrisque equis muniantur aliique viginti albis equis armisque
170 eiusdem coloris sint armati. Hisque cadaver ligno pedibus
171 suspensum nocte ac die custodiendum committas, viginti albis hinc,
172 inde viginti nigris circa ipsum ordinatis. Hi profecto si vigilanter
173 custodierint, tuum capient furem quia non patietur ipse diutius
174 pendere socium, etiam si sciat se mortem protinus subiturum." Rex
175 autem, prout dixerat senex, milites nigris albisque munitos armis
176 circa suspensum cadaver ordinavit. At vero fur ille, suum patrisque
177 opprobrium ferre non valens malensque semel mori quam diu
178 infeliciter vivere, consilium cepit quo aut patrem turpi ludibrio

179 subtraheret aut ipse cum eo pariter moreretur. Subtili ergo ingenio
180 arma partita fabricat, tota scilicet ab una parte alba et nigra ab altera.
181 Quibus armatus equum hinc albo, inde nigro panno coopertum
182 ascendit, sicque lucente luna per medios transit milites, ut nigra pars
183 armorum eius viginti albos deluderet et alba pars deciperet nigros,
184 putarentque nigri unum esse ex albis et albi unum ex nigris esse. Sic
185 ergo pertransiens venit ad patrem depositumque a ligno asportavit.
186 Facto autem mane, milites videntes furem furtim sublatum sibi,
187 confusi redierunt ad regem, narrantes quomodo se miles albis
188 nigrisque armis partitis decepisset. Desperans ergo iam rex posse
189 recuperari perdita, et furem et thesaurum cessavit quaerere.